Universitätsbibliothek Paderborn

De Sacrificio Missæ Expedite Celebrando Libri III

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1661

Vbi vindicatur Emmanuel Sa, numer 7

urn:nbn:de:hbz:466:1-41878

Visual Library

tit. *Quodſi deſit, qui Miſſam perficiat, ſequenti die perficiatur, aut ſumatur ab alio Sacerdote, in alia Miſſa Sacramentum.* Non placuit hoc dictum ei, qui illum expurgavit, quare ſic repoſuit. *Quodſi deſit, qui perficiat, ſequenti die ſumatur ab alio in alia Miſſa Sacramentum.* Citatque Suarium, D. Thomam, Azorium, Sotum, & Toletum. Hinc ergo oritur quæſtio, an opinio genuina auctoris dicentis poſſe perfici die ſequenti prædictam imperfectam Miſſam, ſit probabilis, ac propterea, immerito, expuncta?

7. Certè non video, cur poſſit eodem die perfici, ut omnes concedimus, immo iniungimus, etiam poſt ſex vel ſeptem horas, ut contingeret, ſi defectus occurreret ſummo mane, & Sacerdos ſuppleturus inveniretur circa meridiem; non poſſit autem die immediate ſequenti, illa enim mora in tali defectu non debet judicari longa, ita ut continuari eadem Miſſa non poſ-

ſit

ſit die ſequenti. Sicut enim die Veneris Sancti conſumptio tunc exhibita continuat Miſſam diei præcedentis, nam propterea dicitur complementum Sacrificii præteriti, ita in caſu noſtro, &c.

Dixi (poſſit) nam cum ex alia parte negandum non ſit, eam eſſe aliquam notabilem moram, ideo rectè concedimus poſſe etiam ſumi illud Sacramentum eodem die juxta dicta n. 3. vel alio die in alia Miſſa, ut hic notamus, & ſapienter docuit Sà, dum ſub disjunctione dixit *ſequenti die perficiatur, vel ſumatur.*

8. Neque obſtant illi auctores in Expurgato citati, ii enim præter Sotum, cum non diſputent, an die ſequenti perfici poſsit dicta Miſſa, ſed ſolum abſolutè doceant, aſſumi poſſe, deficiente ſacerdote, Sacramentum, non ſunt contra nos, ſed ſolum ſunt dicendi de noſtra ſententia mentionem non feciſſe.

Sotus *a* vero, ſi rectè intelligatur, pro nobis eſt.

An perfici prædictum Sacrum ab Excommunicato, Suſpenſo, vel irregulari poſſit.

Vbi non approbatur Emmanuel Sà.

9 QVæramus Secundo, An ſi non adſit alius Sacerdos niſi Excommunicatus, vel ſuſpenſus, vel irregularis poſſit hic, & juxta dicta debeat ſupplere prædictum Sacrificium.

De Excommunicato S. Thomas *b* jam poſſe pronunciavit modo n. De Suſpenſo, & Irregulari, non meminit; cum tamen id excommunicato concesserit, illis etiam propter paritatem rationis conceſſiſſe certum videtur. Sà vero tu-

a *Sotus in 4. diſt. 13. q. 2. art. 6. §. Circa hoc fine.* b *Sanct. Thom. 3. p. q. 83. art. 6. ad ſecundum.*